



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola L. Ioannis Papae VIII. Ad Landvlfvm Episcopvm Capvanvm. Monet  
vt sibi significet, an Neapolitanorum dux foedus cum Sarracenis initum  
frangere velit, & det operam vt idem dux Guaiferius & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

culo irretiens omnes, qui sibi communicauerint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario fauerint. vnde vos cautos reddere volumus, si non vultis ipsi eidem secundum regulas subiacere iudicio. Optamus vos, &c. Data iv. Kalendas Maii, indictione decima.

## E P I S T O L A L.

## I O A N N I S P A P A E V I I I .

AD LANDVLFVM EPISCOPVM CAPVANVM.

Monet ut sibi significet, an Neapolitanorum dux fœdus cum Sarracenis initum frangere velit, & det operam ut idem dux Guaiferius & Pulchar una secum Traiectum se conferant, quo ipse est iturus; paratum se ad ea quæ promiserat, & maiora concessurum, si ipse dux in sententia persistat.

*Ioannes episcopus Landulfo episcopo Capuano.*

**S**TUDEA T sanctitas tua certissime scire si Neapolitanorum dux præstantialiter vult pacatum Sarracenorum irrumpere, & fœdere Christi, quod in regenerationis vnda pepigit, vel a nunc, sicut debitum est, veraciter inhærere: & siquidem talem nunc animum habere cognoueris, hoc nobis præstantialiter indicato. Age ut idem dux Neapolitanus, & Guaiferius glriosus princeps, ac Pulchar præfetarius ad Traiectum una tecum accelerent; vbi etiam nos accedentes, quæ Deo sunt placabilia statuemus. Parati enim sumus non solum quæ dicta sunt, sed & maiora concedere. tantum ut eiusdem magistri militum sermo ita sit fidelis & stabilis, & omni certitudine præmunitus, ut securitas ex utraque parte firma maneat, & sine dubitatione certa persistat: quod si quæ repromittunt, aut adimplere nolle aut prolongare velle illos cognoueris: non tibi sit licentia hoc a nostra scientia occultandi; sed quidquid veraciter sine dolo per omnia indicandi. De his ergo stude præstantialiter nos pleniter ac citissime literis tuis instruere; vt quod deinceps Deus dictauerit, cum ipsius auxilio sine mora incipere & perficere procuremus. De quibus ipse præ certe ris curam arripe, qui nimirum speciali prærogativa nostrorum viscerum præ ceteris foueris in antro. Data iv. Kalendas Maii, indictione decima.

*Concil. Tom. 24.*

I ij